



# DISSERTATIO

IN

## DISTICHON ILLUD VEXATISSIMUM,

*Ecce negas, jurasque mihi per TEMPLA TONANTIS,  
Non credo: jura, Verpe, per ANCHIALUM.*

Qua ob ARGUMENTI similitudinem, fuse agitur de  
juramentis apud <sup>a</sup> *Martialem* memoratis.

### PRÆFATIO.

**C**UM in eo jam sim, ut ritus moresque Judæorum, a Gentibus acceptos, & in juramentis ipsorum usitatos illustrarem; cum re præsentì conjunctum est, jam dicto *Martialis* disticho lucem scenerari, cum præsertim argumento meo cognatione propinqua jungatur, & carminum eorum sensus & intentio tot virorum doctorum indaginem eluisse videatur. Ut autem carminibus hisce lux clarior affulgeat, par est ut rei totius exordium altiusecule repetatur.

SIC itaque se habuit res tota quæ carminibus illis occasionem administravit: Rumor in vulgus Romæ spargebatur, poetam quendam Judæum, *Anchialum*, *Martialis* puerum Sodomitice corrupisse. Arguit eum *Martialis*, quod ipse scelere tam tetro seipsum contaminaret, cum præsertim in ipsis *Solymis* natus esset, adeoque sanctior & purior haberi vellet. Judæus interim, ut criminis tam horrendi, forsitan etiam capitalis, odio seipsum liberaret; factum negavit, & verborum suorum fidem, juramento per Jovem Tonantem concepto, firmare studuit. *Martialis* autem, cum sublestam Judæi fidem probe sciret, hujus juramentum pro nihilo habuit, addens:

*Non credo: jura, verpe, per ANCHIALUM.*

Rem hanc *Martialis* disticho causam præbuisse, lector e verbis proxime præcedentibus haud ægre colligat.

*Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis;*

*Pædicas puerum, verpe poeta meum.*

*Ecce negas: jurasque mihi per TEMPLA &c.*

Cum autem ex antedictis verborum occasio satis intelligatur, nodos qui supersunt, hoc ordine servato, conabor expedire. (1<sup>o</sup>.) Doctorum sententiæ de juramento per *Templa Tonantis* erroris arguuntur. (2<sup>o</sup>.) Illius juramenti sensus genuinus explicatur, & ratio redditur cur *Martialis* illud nullius æstimavit. (3<sup>o</sup>.) Sententiæ de *Anchialo*, passim receptæ, recensentur, & rejiciuntur. (4<sup>o</sup>.) Auctoris opinio de *Anchialo* The-sibus aliquot exponitur & confirmatur. (5<sup>o</sup>.) Cur *Martialis* juramentum per *Anchialum* juramento per *Templa Tonantis*, tam facile præferendum censuit. De his omnibus ordine differendum est.

<sup>a</sup> Libr. xi. Epigram. 95.